



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

10. Ob libidinem, etiam non excommunicati, à dæmone vexati.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

mitiua Ecclesia, vt docet Theodoretus, ex maiorum traditione excommunicati diabolo traditi, etiam ab eo corporaliter fuere vexati, & quasi possessi. Exempla crebra sunt in vitis Patrum. S. Ambrosius quemdam satanae tradidit, quem daemone eodem momento abripiens, discerpere coepit. Qua de causa Dominus Apostolis immundorum spirituum tradidit potestatem, non solum, vt eos expellerent, sed etiam (vt discerent homines excommunicationem timere) immitterent ad corpus diuexandum. Theodoretus verba sunt: *Eos tradit diabolo, non vt bonorum magistro, sed vt seruo carnifici; & ideo non dixit, vt eos doceret, sed vt doceantur non blasphemare. Ab Ecclesiastico enim corpore separati, & diuina gratia nudati, ab aduersario crudeliter flagellabantur, incidentes in morbos, & difficiles affectiones, & alias calamitates; hac enim consuevit inferre hominibus, quoniam & est inimicus, & ultor, vt dicit Propheta.*

Enimvero etiam si tales Cypridis mystae non excommunicentur, saepe ob solam effrahem libidinem, saepe etiam ob conjugalem intemperantiam, diuina iustitia eos castigante, a daemone cruciantur. Et quia, qui in matrimonijs sunt, omnia sibi licere arbitrantur, audiant historiam sacram, quam non est fas inter fabulas computare. Angelus Raphael Tobiae juniore dixerat, Saram vnicam opulenti Raguelis filiam illi conjugem deberi. Tunc respondit Tobias, & dixit: *Audio, quia tradita est septem viris, & mortui sunt: sed & hoc audiui, quia daemone occidit illos. Timeo ergo, ne forte & mihi hac eneniant: & cum sim vnicus parentibus meis, depouam senectutem illorum cum tristitia ad inferos. Tunc Angelus Raphael dixit ei: Audi me, & ostendam tibi, qui sunt, quibus praeualere potest daemone. Hi namque, qui coniugium ita suscipiunt, vt Deum a se, & a sua mente excludant, & sua libidini ita vacent, sicut equus & mulus, quibus non est intellectus: habet potestatem daemone super eos. Quod bene obseruent conjugati. Et multo magis, quicumque extra matrimonium libidinantur. Nam, vt ad nouum Testamentum reuertamur, ob hanc causam, Mariam Magdalenam septem daemone occuparunt. Quod si vnicus Asmodeus septem potuit viros occidere, quantum poterunt daemone septem vnica mulierem cruciare? Narrat Prosper*

Theodoret.
1. Cor. 5. 5.
& 1. Tim. 1.
20.
S. Paulin in
vita S. Am-
brofij.

Theodoret. 1.
Tim. 1. 20.

Pfal. 8. 3.

X.

Tob. 6. 14.

Marc. 16. 9.

Prosper lib. de
pucl-

dimid temp.
cap. 6.

D. Hieron. in
vita S. Hila-
rion.

puellam quamdam, ob curiosam corporis sui cum statua Veneris collationem, diuina ultione à dæmonibus inessam, ac velut à carnifice tortam. Et D. Hieronymus testatur aliam puellam, ob vaniorem ornatum, externamque dumtaxat quamdam dissolutionem dæmoni, per maleficum immisso, patuisse. Terribiliora exempla nos in Sirenibus daturi sumus.

XI.

2. Tim. I. 19.

Ob blasphemiam quoque S. Paulus Alexandrum & Hymenæum dæmoni torquendos permisit. Ita enim ad Timotheum scripsit, postquam eum iussit habere *fidem & bonam conscientiam, quam, inquit, quidam repellentes, circa fidem naufragauerunt: ex quibus est Hymenæus, & Alexander, quos tradidi Satana, ut discant non blasphemare.* In quem locum Theophylactus ita scribit. *Cum vita impura fuerit, dogmata etiam inde peruersa nascuntur. Vt enim metu futurorum non torqueantur impurè viuentes, persuadent sibi omnia esse vana, qua de religione nostra dicuntur. Ex quibus est, inquit, Hymenæus, & Alexander, quos tradidi satana, ut discant non blasphemare. Sed quomodo tradebantur satana? Eiciebantur ex Ecclesia, abiciebantur à charitate, tradebanturq; nudi lupo. Vt enim olim tabernaculum protexit nubes, sic & Christi Ecclesiam Spiritus paraclitus. Si quis igitur extra hanc, ac proinde etiam Spiritus fuerit, citra laborem ab alijs deinceps capi potest. Talis igitur Excommunicationis mulcta est. Accepit igitur blasphemos istos diabolus in potestatem. An non enim illis os intumescat, qui tumidi in DEVM & Diuos euomunt execrationem? An non lingua excindatur ad laudes diuinas creata, sed conuicia pariens, & cælum ipsum opprobrijs appetens? Mitissima certè DEI Mater, & patientiam suam clementiamque, & iustitiam aliquando in ta-* lem ostendisse legitur, in Prato. Spirituali. *In hac (Heliopoli Phœnicie) mimum quidam erat, Gaianus nomine qui in theatro sanctam Dei Genitricem blasphemans, populo spectaculum blasphemie præbebat. Apparuit autem ei Sancta Dei genitrix: noli, quaeso, noli ita ledere animam tuam, ille verò rursus deterius illam blasphemabat. Unde ipsa tertio ei apparens, eadem repetebat. cum autem ille se non corrigeret, sed plus quoque blasphemis adijceret: meridie dormienti sibi apparuit, nihilq; dicens, digito signauit eius manus & pedes. Euigilans autem inuenit, se truncatum manibus & pedibus. Atq; ita infel-*
lix.

In Prat. Spir.
cap. 47.